Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31247
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



prius secula serenasset intantum ut pipius edictum
describeretur universalis orbis divine factum est providen
cie cura ut ioseph virginis sponsus pregnantem
puellam de regali ortam prosapia ad beethlemiticam
duceret urbem Et iam a conceptu excursis mensibus
novem rex ille pacificus tamquam sponsus de tha
lamo procedens de utero virginali sic absque omni
corruptione in lucem editus sicut fuerat absque
omnis libidinis contagione conceptus Qui cum
magnus esset et dives pro nobis effectus est parvus et
pauper Extra domum in diversario nasci elegit panni
culis involvi lacte virgineo pasci inter bovem et asinum
in presepio reclinari Tunc illuxit nobis dies redemp
cionis nostre reparacionis antique annus felicitatis eter
ne Tunc per totum mundum melliflui facti sunt celi
Complectere itaque mire anima mea divinum illud
presepe ut pueri pedibus labia figas oscula gemi
nes Deinde pastorum excubias mente pertracta
Angelorum mirare concurrentem exercitum celesti me
lodie tuas in tempore partes corde et ore decantans Gloria
in altissimis deo et in terra pax hominibus bone volun
tatis.

Ihesus conformis patribus

Octavo namque die circumciditur puer
et vocatur ihesus ut sanguinis sui pre
cium pro te non tardans effundere tuum
serenissimum salvatorem ostendat
patribus repromissum tam verbo quam
signo eisdemque assimulatum per
omnia preter ignoranciam et peccatum propter quod et circum
cisionis accepit signaculum sicut et veniens appa
ruit in similitudine carnis peccati ut de peccato dampna
ret peccatum nobisque salus et sempiterna iusticia ab hu
militate sumens virtutem que omnium est radix